



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 35. De colore ad tex, com. 86.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Non enim color est formaliter extremitas; & ideo Pythagoras reprehenditur colorem inquiring extremitatem esse: sed dicitur esse extremitas, hoc est in extremitate versari. Aut extremitas corporis appellatur, non ut est corpus (hac enim est superficies) sed ut perspicuum terminatum. Quippe color terminati perspicui actus est, lumen interminati. Extremitas autem nominatur, non quod interiores partes colorate non sint; sed quod exteriores solae conspiciendae proponantur.

Posteriore autem modo definitus hoc loco est color: esseque motuum perspicui actus, est ipsius natura; non quatenus color, sed quatenus aspectabilis est. Atque ita tum à ceteris aliorum sensuum obiectis distinguitur, tum ab aliis aspectabilibus, quae in superiori textu separavit à colore Philosophus. Etenim color non nisi in lumine cernitur, quisque habet perspicuo actu. Sonus, odor, & reliqua sensuum obiecta, immò & aspectabilia illa, de quibus in tex. 72. in tenebris quoque sine lumine sentiuntur. Solus color necessarid postulat lumen & perspicuum actu illuminatum; & ideo solus ex obiectis omnibus sensilibus, immò & ex aspectabilibus, definitur esse motius eius, quod est actu perspicuum.

At in pace autem, ut est apud Auerroem, in hac definitione interpretanda lapsus est; dum colorem dixit motuum esse perspicui actus; non quod perspicuum oporteat esse actu, antequam coloris motum suscipiat, sed quod ab ipso colore fiat actu. Itaque lumen affirmavit necessarium esse ad videndum, non in medio, sed in obiecto colorato: ut scilicet color fiat actu, ut possit medium perspicuum mouere. Verum non ait Philosophus, colorem esse actu motuum perspicui: hoc enim eum sensum habere postulat: sed (ὅτι οὐκ ἔστιν ἐκείνου διαφανές) hoc est eius perspicui, quod iam sit actu. Deinde cum in tex. 69. lumen definit & esse actum huius perspicui, manifeste declarat, perspicuum antea dictum fuisse perspicuum illuminatum; neque illius actum esse colorem, sed lumen. Et quoniam eam interpretationem pluribus consutavit Auerroes, non est quod immoremur.

A dum eum subiecit absque lumine aspectabilem non esse; manifestum est, lumen perspicui actum esse.

B Sed cum color sine lumine aspectabilis esse negatur, id de actu secundo intelligendum est. Cum enim esse aspectabile sit coloris proprietas, quae naturam illius ex elementorum permissione ortam consequitur: in tenebris quoque, & verò etiam in intimis corporum partibus, non sola exteriori superficie, aspectabilis est color actu primo; hoc est habet formam, quae aspicì possit. Re ipsa tamen & actu secundo non aspicitur, nisi praesente lumine aspiciendique facultate. Atque ad hunc actum est potestate, si sit in tenebris, aut in interioribus partibus, aut si aspiciendi facultas absit. Sed in interioribus partibus est potestas remota, in exterioribus propinqua: quoniam his solum deest lumen aut facultas: illa ad superficiem primum reducenda sunt.

C Iam verò lumen, tum in medio, tum in obiecto necessarium est: neque obscurum prorsus obiectum, neque per medium omnino tenebrosium videri potest. Et de medio quidem pronuntiant Philosophus, colorem esse actum perspicui actu illuminati: de obiecto autem, colorem sine lumine videri non posse, sed unumquemque in lumine conspici. Ut verè etiam affirmare liceat, ex eo, quod color moueri non potest medium nisi illuminatum, Aristotelem deduxisse, ipsum quoque illuminatum esse oportere. Nam si in medio necessarium est lumen, ut coloris motus suscipiatur; multò magis in ipso colore requiritur, ut moueri possit.

D Denique quoniam lumen ad videndum colorem est necessarium, & ipsam quidem interdum per se aspectabile est sine colore, color verò sine lumine aspicì nequit; concludit antea dicendum esse de lumine, quam de colore accommodatè dicitur. Accedit & illud, quod & qualitas est sua natura nobilior & prior, quae ad colorum quoque compositionem concurrat. Et rursus dici non potest quid sit lumen, nisi quid sit perspicuum intelligatur: si quidem lumen definitur esse actus perspicui; quam actu pelluceat suscepto lumine.

Digestio xxxv. De Colore.

Paucis omnino verbis & obscure satis Philosophus coloris naturam exposuit. Pluribus opus est. Nam & aliquos reperio non satis eum à lumine distinxisse.

E Plato in Timæo colorem scripsit veluti flammulam quandam esse fulgoremque è singulis corporibus emicantem. Et aperta oratione Auerroem, ut est apud Auerroem, nil esse aliud, quam lumen, credit. Et in 6. naturalium Avicenna, & Albertus hoc loco, & in lib. de sensu & sensibili, & in summa de homine, materialiter esse dispositionem quandam ad suscipiendum lumen ex elementorum permissione in corporibus ortam; formaliter autem ipsum lumen, ut alio atque alio modo terminati corporis superficiei admiscetur. Itaque note & in tenebris non nisi materialiter in corporibus esse colores; formaliter tunc solum, cum adest lumen.

Aristoteles quidem certè in tex. 18. lib. 3. lumen affirmabit potestate existentes efficere actu colores: agentemque intellectum luminis esse perfim-

Color et
esse actum
luminis.

Lumen
in medio
& obiecto
necessarium

Colorem
quinta
tem esse
à lumine
ne dicitur
tam.

TEXTVS.

ὅτι οὐκ ἔστιν ἐκείνου διαφανές, ἀλλὰ τὸ πᾶν τοῦ ἑαυτοῦ
ἔστιν ἐκείνου διαφανές. ὅτι οὐκ ἔστιν ἐκείνου διαφανές
τὸ πᾶν.

Quare non est aspectabile sine lumine; sed omnis eiusque color in lumine aspectabilis. Itaque de lumine primum dicendum, quid sit.

COMMENTARIVS LXXXVI.

Aristoteles ergo ex coloris definitione proposita sapienter colligit, colorem sine lumine aspectabilem non esse; sed colorem omnem opus habere lumine, ut aspicì possit. Quibus verbis lumen significat actum esse perspicui. Si enim color solius perspicui, quod sit actu, motius est;

lem, quoddammodum lumen colores facit actu & aspectus obiectum, sic intellectus agens intellectuales species vniuersalesque naturas, patientis intellectus obiectum, producat. Et in lib. de sensu & sensibili cap. 3. lumen esse colorem perspicui. Et rursum, aërem & aquam esse colorata: quæ tamen constat non nisi illuminata esse. Ad eundem, colorem esse perspicui extremitatem in corpore terminato: nimirum quia in sola illius extremitate suscipitur lumen. Alexander quoque in primo lib. naturalium quæstionum cap. 2. album esse tanquam præsentiam luminis, nigrumque ut illius absentiam; illud maximè, hoc minimè aspectabile. Et in primo lib. de anima cap. 13. in corpore terminato non inesse actu colores, nisi cum illuminatur. Certè in Iride ac nubibus solo lumine suscepto colores existunt varii. Et cyathi non omnino rubro vino pleni pars inferior idcirco albescit, quoddam penetrat lux. In solis eclypsi defectu luminis pallefcunt omnia, quasi à lumine suum quæque colorem habeant. Propterea obiectum luce affusum, est medium & oculus tenebrosa sint, cernimus: contra si hæc illuminentur & illud obtenebretur, nihil conspicimus. Nimirum lumen obiecto adesse oportet, ut illi colorem adferat. Et quæso, si absente lumine in coloribus hæreat color, quam tandem sit ratio, cur is absque lumine non cernatur? An opus est lumine, ut color possit mouere medium? at si lumen seipso mouet illuminando, quidni moueat color sui speciem immittendo?

Colorem in tenebris esse corporibus.

Ceterum verissimè deduxit Auerroës, sententiam fuisse philosophi, colores in tenebris quoque in corporibus actu inesse. Nam & in tex. 66. colorem docuit esse id, quod existit in eo, quod est per se aspectabile; quoniam in seipso habet causam, ut sit aspectabile. Et in tex. 67. esse motum eius, quod est actu perspicuum; hoc est perspicui illuminati: ex quo colorem deduxit absque lumine aspectabilem non esse. Color igitur à lumine diuersum quidpiam est, illudque in perspicuo supponit. Hinc diuersa, tum hoc loco, tum in lib. de sensu & sensibili, vtriusque definitio. Hinc discrimen illud; perspicua interminata propter lucem, quam suscipiunt, alio atque alio modo & procul & propè representari obtutui, colorem eodem semper modo. Quamuis aquam maris alio modo procul, quam propè conspicias; rubeus tamen color rubeus semper apparet. Hinc demum & illud; interminata corpora, ut aërem aut aquam, extrinsecus colorari, dum aliunde suscipiunt lumen: Terminata verò intrinsecus, quod ex se colorem habeant. Nam si colorem externo constarent lumine, coloratum à perspicuo interminato nihil differret; neque proprio, sed externo colore aspectabile esset. Res tota ex iis, quæ non multò post de colorum generatione dicentur, planior euadet. Etenim lux qualitas est omnium prima, cælestium corporum maximè propria, suæque conditione minimè materialis. Colores qualitates secundæ sunt ex primarum remotè, proximè ex lucidi, opaci, & perspicui permissione ortæ. Albedo & nigrior pugnant, pugnantisque effectus habent, disgregare, & congregare aspectum. Et nigredo cum maxima ex parte constet opacitate; qui potest idem esse, quod lumen. Nullæ etiam forent colorum species natura distinctæ, nulla verorum apparentiumque colorum discrepantia. In cælo non

minùs, quam in inferioribus, oporteret esse colores. Hicque ex qualibet luminis mutatione continenter in corporibus mutarentur. At idem semper sunt; neque alia mutatio sit, quam quoddam maiore aut minore accedente lumine, clarius obscuriusque cernantur. Diuiso corpore non minùs perfecti, immò perfectiores plerumque, in interioribus visuntur partibus, quam in exteriori superficie cernerentur. Neque eos subito à lumine excitari dicas. Nam præterquam quod id credi non potest; si corpus album in luce minima diuidatur, albedo conspicitur perfectissima: quæ tamen non nisi à maxima luce prodiret: omninoque certa ratio tenenda esset, ut hic à tanta, ille ab alia luce color gigneretur.

Ergo sunt corpora vel in tenebris colorata; sed eorum color sine lumine, nec videtur, nec videtur potest. Neque illis aduentitium lumen colorem adfert aut formam, qua actu primo sint aspectabilia: sed solum id præstat, ut eorum color per se actu primo aspectabilis actu quoque secundo aspectatur, atque de potestate propinqua ad actum veniat. Non inquam colorem facit, ut forma quæpiam est absoluta; sed ut aspecticem facultatem terminat, ab eaque conspicitur. Ne quid colorum addendo quidquam; alioqui ex accidente, non per se, aspectabilis esset: sed perspicuum faciendo actu, ut à colore moueri possit. Etenim nec medium facit perspicuum; verum id, quod sua natura perspicuum est, facit actu perspicuum. Ita intellectus agens luminis persimilis dicitur, dum res sua natura & entitate actu primo intellectuales actu quoque secundo intellectuales efficit. Adhibito lumine producit coloris species intentionalis, sicque color actu secundo aspectabilis: & accedente intellectu agente adest intellectuales species, etque res actu secundo intellectuales. At hæc in; lib. erunt examinanda.

Vsu item vocis ampliore, quo lumen quoque & vniuersum aspectus obiectum comprehendit, lumen perspicui color appellatur: atque & aqua colorata, hoc est aspectabilia, dicuntur. Color verò quo modo extremas perspicui terminati definitur, dictum est in commentario. Neque mirum, si album interdum colorem dicant Peripatetici esse, ut lumen, & nigrum ceu tenebras. Nam & imperfectiorem qualitatem perfectioris comparatione veluti priuationem esse, scimus ex tex. 18. lib. 1. de ortu & interitu, & tex. 22. lib. 2. metaph. & albus plurimum luminis habet admistum, niger est penè totus opacus. Alioqui tum Alexandri, tum aliorum Græcorum interpretum aperta fuit sententia, colores qualitates secundas esse ex elementorum permissione ortas: quod de veris ac perfectis coloribus intelligendum est. Quidam enim imperfecti sunt & apparentes, qui solo lumine suscepto aut reflexo refractone in aliquo corpore consent. Huius generis colores nubium sunt, Iridis, & ille, qui in infima cyathi parte cernitur. Solis verò deficiente lumine cuncta pallefcunt, non mutato colore, sed cum colores absque lumine non cernantur, deficiente lumine minùs à nobis cernuntur.

Cur autem lumen tantopere sit videndo necessarium, ut in tenebris nihil planè cernatur, non facile dixeris. Nam quod plerique aiunt, necessarium esse, ut colorum species ad oculum producerentur; mihi quidem certè probari non potest. Tum quod nullas eiusmodi species esse credam.

Tum quod si essent, non prouerentur à lumine, neque de subiecto in subiecto migrarent, alias atque alias aëris partes percurrerent.

Aut igitur id nobilitati ac dignitati huius operationis & sensus tribuendū est. Nam propterea Timaeus hunc sensum omnium sumptuosissimum appellauit, quod pluribus, quam ceteri sensus, indigeat. Hoc forsitan (inquit Priscianus Lydus in Theoph. li. de anima cap. 21.) propriū est aspectus, lumine uidelicet indigere: non quia minus sit perfectus, quā ceteri sensus, qui nullo alio externo indigent perfectore: sed quia praestantiorē sublimiorēque actionem habet. Cui potentia non suppetit sensualis, sed diuiniorem insuper quandam desiderat speciem. Sicut enim corpus nostrum ad hoc quidem, ut graue sit atque descendat, non indiget animā; sed ad ipsum progressionis apprehensionisque motum propter excellentiā motionis naturalem corporis motum exuperantis: sic & visus ceteris excellentior, propterea quod excellentius operetur, alio quodam utitur perfectore. Addit & in cap. 22. luminis item ipsius praestantiam. Hæc, inquit, opulencia quaedam est, tum visibilis omnium primi, quod lumen esse dicimus; cetera uidelicet uidentia perficere: tum ipsius uidentis potentiae, sentientis scilicet non solum lumen, sed alia quaedam ipsius luminis beneficio.

Aut ex eo deducendum erit, quod cum per interiectum medium videre oporteat; aliquid necessesse sit esse oculo, medio, & obiecto commune; quo actu fiant, ut circa obiectum facultas agat. Oculi pupilla & medium perspicua sunt: actus perspicui lumen est: ad esse igitur lumen oportet, ut hæc actu fiant. At hæc per uia sunt, obiectum terminatum; illa ubique, hoc in extremitate saltem suscipiunt lumen; ut eadem sit & communis omnium conditio, eodemque & communi aduata actu operatio promatur. Itaque lumen dixit Priscianus cap. 14. eiusdem lib. utrinque perficere, tum visurum ad uidentium, tum visibile ut uideatur. Neque enim aut visibile aget in visurum sine lumine, aut visurus aget aliquid circa visibile. Visibile autem iuuatur lumine, quod illius colorem uiuaciorem & ad visum mouendum efficaciorē reddit. Nam & in colorum generatione lumen formae vim habet, opacum & perspicuum sunt ut materia.

Maximum igitur obiecti lumen esse oportet; quoniam illud facultatem mouere debet atque ad operandum excitare: naturalisque eius opaca & obscura conditio magis iuuanda est: perspicuis uel exigua sufficit lux. Deinde cum sensibile positum supra sensum non sentiat; & medium eo carere oporteat, quod per illud sentiri debet: plus omnino in medio, quam in oculo; plūque in obiecto, quam in medio, necesse est luminis esse. Propterea lumen admouemus obiecto: & quod magis obtinebratur oculo, melius uidet; manūque admouemus oculo, ut acutē cernamus: atque ex obscuriore loco uel minimum lucidum corpus & stellas minimam uel lucernam licet remotissimā nocte, non die, perspicimus. Quæcumque tamen obiectum illuminatum postulant, eadem aliquod item, licet remissius; in medio & oculo lumen requirunt.

Iam ergo de colorum natura, cognitu quidem difficillima, sed in cunctis diffima, & de qua extant scripta per pauca; Epicurus olim, Democritus, & qui

cum illis philosophati sunt, ex atomis omnia con-ficientes, ex non coloratis atomis permittis colorata corpora fieri uoluerunt. Empedocles ex elementis actu coloratis, ut in 1. lib. naturalium questionum cap. 13. auctor est Alexander.

At Aristoteles in cap. 3. lib. de sensu & sensibili, ceterique peripatetici, ex elementorum permissione perfectos existere colores docuerunt. Duplex namque colorum genus agnoscimus. Quidam sunt imperfecti, in Iride, nubibus, aliisque similibus suscepto lumine in opaco quopiam corpore, reflexoque aut refracto. Quique à pictoribus fiunt, dum duos pluresue componendo alium quempiam colorem efficiunt. Accedit persapè distantia aut propinquitas. Nam remotus aër uidetur niger, dum plurimas illius partes per lineam rectam aspectus transiens, eas uelut densatas conspicit. Propinquus uerò albus, quod facile penetretur absque impedimento aut opacitate vlla, quæ nigrorem pariat. Fit etiam, ut impingat lumen in corpus coloratum; quod dum aspiciamus, circumiectus quoque aër & luminis radij eodem uidentur colore affecti. Luminis radij apparent flauis, si in aureum incidant nummum. Denique lumen per vitrum coloratum transiens atque in alio susceptum corpore colorem in eo eundem refert: eodem scilicet colore imbutum.

De his nunc non est sermo: sed de altero perfectorum genere. Eos peripatetici ex elementorum permissione fieri prodiderunt. At hæc duobus modis spectantur. Altero, ut principibus illis qualitatibus, calore, frigore, humore, siccitate, prædita sunt. Altero, ut lucida sunt, opaca, & perspicua. Lucidus est ignis, opaca terra, perspicua reliqua duo. Colores nequaquam ratione prioris generis qualitatum existunt, nisi motu, quatenus illarum actione ac passione permiscerentur hæc corpora. Quam ob causam secundæ qualitates nominantur. Quod uel ex eo intelligas, quod albedo inest in summè calidis, ut in calce; & in summè frigidis, ut in marmore: in summè humidis, ut in lacte; & in summè siccis, ut in ligno, capillis, & lana. Calor quædam efficit nigra, ut cutim & carbones; alia alba, ut calcem & ossa. Frigus in quartana febris denigrat, dealbat in niue, grandine, aliisque pluribus. Quædam sunt alba & calida, ut faccarum, sal, calx; alia frigida, ut lac, marmor, nix. Quædam nigra & calida, ut piper; alia frigida, ut oppium, attramentum, sepia, ebanum. Quam ob causam nec medici ex coloribus temperaturæ argumentum sumunt, nec ex illis iudicant, calidane an frigida, humida siccane sint medicamenta. Sed aliquam aliam necesse est proximam subesse causam: ea est alterum illud qualitatum genus, lumen, opacitas, perspicuitas: quæ dum mutua caloris, frigoris, humoris, & siccitatis actione alio atque alio modo permiscerentur ac temperantur, alios atque alios corporibus mistis colores adferunt. Nam & lumine quocumque modo in opaco suscepto plurimos manifestum est imperfectos colores existere. Quare si illud ipsum lumen accuratè magis fuerit cum opaco permistum & temperatum, perfectos omnino procreabit colores. Hinc est, quod color dicitur esse actus perspicui terminati. Opaco enim permistum cum luce & perspicuitate oritur. Opacitateque terminat nec lumini peruia est. Si opacitatem tollas, perspicuum superest interminatum, cuius actus est lumen. Ita colorem definit qualitatem secundæ

Duplex colorum genus.

Ut colores ex elementis oriatur.

Coloris definitio

dam esse, lucidi, opaci, & perspicui permissione constantem.

Cæli & elementa colorem carent. Cælum & simplicia elementa colorem nullum habent. Etenim pars ea cæli, quæ est perspicua, ut non est terminata, ita nequit esse colorata: quippe color terminati perspicui actus est. Astra verò so-

Ignis. ces: nigrum penè, si crassissimi. Ignis quoque sola luce præditus est. Domesticus ignis propter fumi terræque & opacæ materiæ permissionem colores varios ostendit: album, si fumus rarus, paucus, probèque digestus; flavum, si crassior; rubeum etiam, si multus; nigrum, si crassissimus, ut in picis flamma: immò & viridem, si quid accesserit materiæ aqueæ, quod non benè possideatur ab igne; ut in sulphure, imàque candelæ flamma propè ceram.

Aër & aqua. Aërem & aquam colorata dixit Philosophus ampliore, ut dictum est, vocabuli usu. Alioqui neque lucem habent, sed perspicuitatem, qua luci pernia sunt. Neque colorem: tum quia hic solius terminati corporis actus est & extremitas: tum quia cū ambo hæc corpora instituta sunt, ut omnis motus, tum naturalis, tum animalici, hoc est sensonis, medium, colore omni carere debuerunt, ut per ea colores omnes conspicerentur. Hinc & mista, quæ aëre abundant & aqua, colore carent; ut vitrum & cristallus.

Terra. Terram Hieronymus Cardanus in 2. de subtilitate lib. sua natura coloratam dixit; pullam inquam, seu etiam nigram. Terra enim pulla & nigra omnium optima & fertilissima. At fertilitatem aquæ & aëris permissionem ostendere, confirmabit Philosophus in tex. 50. posterioris lib. de ortu & interitu. Quippe elementum simplex non nutrit. Quod Theophrastus in lib. de coloribus cap. 1. albam appellavit, & coloratam Priscianus in librum eius de anima cap. 17. non est de vero albore accipiendum: cū & hunc Aristoteles igni potius tribuerit, terræque sit igni contraria: & nigra magis videatur esse debere, cū opaca sit & tenebrosa. Nam & albor ad lucem, nigrorque ad tenebras referuntur in cap. 3. lib. de sensu & sensibili: & album velut habitus est comparatione nigri: ac demum terram, si cum igne compares, ut non est lucida, ita quasi priuatam dixeris. Verum propterea ita loquutus est Theophrastus, quòd nullum colorem habeat; sed ad omnes indifferens albedine propemodum videatur. Quemadmodum & cinis: quoniam humor, qui colorabat, extractus fuit ab igne. Quamquam cinis terra pura non est (salsus enim) & ideo colorem aliquem habere potest. Opaca igitur terra lucem solum in superficie suscipit.

Simplicium corporum dispositio. Ita pulcherrima existit simplicium corporum dispositio. Cælum lucidum simul est & opacum, perspicuum terminatum & interminatum, ratione diversarum partium: ignis lucidus totus & perspicuus; terra opaca & vix in superficie suscipiens lucem: aër & aqua interiecta corpora perspicua tota ac luci pernia. Color propria est mistorum corporum qualitas. At ea, in quibus abundat ignis, lucent præferim; ut noctiluca, oculi fellis, & similia. Si dominantur aër & aqua, nullus est color; quòd illorum corporum interminata perspicuitas retineatur, ut in cristallo & vitro.

A Ergo dominante terra producit alius atque alius color, ut ea fuerit alio atque alio modo cum ceteris elementis temperata. Dūque tria hæc ad gignendum colorem conveniunt, terra opaca, ignis lucidus, aër & aqua perspicua: opacitas, & perspicuitas velut materiæ dispositiones sunt, lux tantquam agens & forma (lucidum & opacum solè plerumque nominantur, ut agens & præcipua materiæ pars). Quemadmodum enim solis lux forinsecus adveniens opacitati nubis, ceu quædam illius forma, colorem procreat imperfectum, qui brevi tempore dissolvatur; sic intrinseca lux corporis, quod cum opaco alio accuratè permisceatur, colorem perfectum gignit; tandiūque permanentem, quandiu substantialis permixtio durat.

B Ex quo intelligas obiter substantiales elementorum formas oportere in permixtis corporibus actu asseruari. Quoniam si lux & opacitas elementorum intrinseca colores hosce debent efficiere, luxque & opacitas proprietates sunt, quæ formas elementorum comitentur; non remanebunt illæ in mistis, si hæc aboleantur.

Colores porò ex lucido, opaco, & perspicuo non ita creduntur fieri, ut color formaliter sit lux cum duabus cæteris qualitatibus temperata. Nam aut esset essentialiter lux, aut ens ex accidentibus, trium scilicet illarum qualitatum complexus. Coloratæque corpora per insitam sibi lucem conspicerentur; ut ea, quæ propterea vocantur noctiluca: neque opus esset externo lumine. Sed de materia & efficiente causa ita id intelligendum est, ut ex illorum corporum permissione ut ex materiæ, atque ab illa efficiente causa, fiat color diversæ qualitas à luce, opacitate, & perspicuitate. Nam si in elementorum permissione lucidum & perspicuum opacitatem, reliqua scilicet tria elementa terram, non mole & quantitate, sed qualitatibus illis superent; color existit albus: si contra eucinet, niger. Si multum addit lucis & perspicuitatis, multumque item opacitatis; rubeus. Si parum ex omnibus, reliqui omnes colores, ut alia atque alia fuerint contemperatio.

D Non leuem adferunt difficultatem nix & spuma majin quibus sola aëris & aquæ, quæ ambo perspicua sunt, permissione color albus existit. Ideo dubitant multi, num sola perfecta mista sint colorata, imperfecta non item. Ita sensit Albertus, dum de nive loqueretur in primo meteororum lib. eam inquires videri albam, at non esse. Dicit & Anaxagoras nigram. Mihi certum est, non omnia quatuor elementa colori perfecto gignendo necessaria esse: sed si vnum desit, aër aut aqua, posse illum ex reliquis tribus procreari. Adhuc enim lux, perspicuitas, & opacitas. Nivis & spumæ alborum probabilissimum est proprium & perfectum colorem non esse, sed variam lucis reflexionem in minimis illorum corporum partibus. Si namque minimam spumæ bullam seorsim acceptis, nullum ea colorem habebit: omnes autem similes vicissim reflectunt lucem, imperfectum illum colorem faciunt. Vitrum quoque in minutissimas contusum partes eandem ob causam albescit; cū tamen singula nullius coloris sint. Nix tamen permanentem videri habere alborum. etsi enim compressa coloris aliquid amittat, alba tamen persistit. Orietur is color ex terræ opacitate cum habitu permixta; quæ cætena magnopere ab aëris & aquæ perspicuitate superatur.

tur. Est tamen imperfectus color : quoniam extera solam lucem habet, non intima ignis permissionem. Ideo nimia luce aspectum lædit; luxque potius, quam perfectus color, videtur.

Sola supersunt perfecta mista perfectis coloribus prædita : quod sola interna lucis cum opacitate & perspicuitate permissione constant. Non in omni tamen perfecto misto necesse est perfectum inesse colorem. Quædam sunt perspicua perita, quæ colorem potius transtuliant, ut medium, per quod colores omnes videntur; quemadmodum vitrum, cristallus, lapides quidam, & animalium nonnullorum, immo & omnium, oculi. Cùm enim colores omnes percipere debeant, colorati dicendi non sunt, sed perspicui, qui à colore inqueantur : quippe color est motius eius, quod est actu perspicuum; hoc est medijs & oculi, quæ actu illuminata fuerint. Quod si colorati videantur, exteque complura, tum apud Aristotelem in 5. lib. de animalium procreatione cap. 1. tum apud alios de illorum coloribus : sanè dicitur tunica, adnata & vicia, colorata sunt, illa alba, hæc subnigra : reliqui colores apparent ac minus veri sunt, ex varia lucis permissione profecti; ut in nubibus. Illorum causam Philosophus cristallini humoris abundantiam esse voluit. Nam si multus fuerit, qui minus penetrat à lumine, niger fit color : si paucus penetrat, facilis, existit albus; ac medio modo glaucus & reliqui. Accedunt tum vicia tunica, tum multus aut paucus albiginos humor, & spiritus sitisque oculi aut prominens aut reconditus. Multus enim humor & spiritus sitisque prominens glaucissimum & subalbum seu citrinum colorem reddit: contra exiguus & latens nigrum; medius habitus colorem item medium & varium.

Velut extremi & omnium primi censentur albus & niger : quidquid nonnulli secus dixerint. Nam & id apertis verbis asseruit Philosophus in tex. 47. lib. 1. Physic. & aliis in locis: esseque hos duos colores in perspicuo terminato, quod in pernio sunt lumen & tenebræ, adiecit in cap. 3. lib. de sensu & sensibili : & ratio confirmat. Tum quia contrarij sunt, neque ex aliis, neque ex sese simplicissim componuntur; sunt igitur primi, simplicissimi, extremi. Tum quia eum primus colorum ortus ex lucido sit & opaco; plurimum alter habet lucis, alter totus ferè opacus est. Accedit & illud ex tex. 4. lib. 2. metaph. & tex. 3. lib. 10. primum in vnoquoque genere cæterorum mensura est. Hos enim duos colores cæterorum mensuram verè dixeris, quod ex illorum permissione alij complures fiant. Albus simplicior & prior nigro existimatur, veluti lux & habitus: lux enim & habitus tenebris & priuatione priora sunt. In coloribus, inquit Philosophus in textu septimo libro 10. Metaph. est vnus color, nempe albus; deinde alij ex hoc & nigro fieri videntur : nigrum autem priuatio est albi sicut tenebræ lucis. Propterea colores omnes alios facile suscipit, quod & prior & simplicior & veluti habitus. Facilius enim habitum, quam priuationem, deserere.

Tandem porro in libro de sensu & sensibili questione 19. colores medios ex extremis componens, nullum fecit certum colorum numerum, quod extremorum compositio infinitis modis variari queat. At colorum omnium prin-

cipia fuere iam posita, lucidum, opacum, perspicuum; & Aristoteles in capite 3. & 6. illius ipsius libri non coloris modo, sed & sensibili cuiusvis obiecti non posse infinitas esse species demonstrat: quoniam vbi sunt extrema, necesse est media esse finita. Septem igitur omnino species statuuntur. Duæ extremæ, album & nigrum: illud maximè accedens ad lumen, hoc ad opacitatem; & idè alterum maximè, alterum minimè aspectabile. Inter hæc medium est viride; quod propterea in probl. 20. sect. 31. tantopere dicitur esse aspectui gratum. Inter viride autem & album continentur, tum purpureum seu croceum, accedens magis ad album, & consonantiam habens diapason, duorum ad vnum, duorum inquam graduum lucis & vnus opacitatis: tum citrinum seu caruleum, quod magis declinat ad viride, & proportione constat diapente, trium ad duo; trium graduum opacitatis & duorum lucis. Ac demum inter viride & nigrum sunt, tum purpureum seu violaceum, accedens magis ad nigrum, proportione diapente, trium opacitatis graduum & duorum lucis: tum rubrum, quod propius accedit ad viride, proportione diapason, duorum lucis graduum & vnus opacitatis. Hæ sunt præcipuæ species. Extremæ ingrata lædunt, gratiores mediæ confortant; maximè omnium viride.

At enim pluribus in locis affirmant Philosophus, colores medios ex extremis componi. Fa-teor: neque vsquam compositionis modum exposuit. Quatuor igitur modos cogitare licet. Primus sola extremorum in partes minutissimas diuisorum iuxta positione constet. Hanc nullus veram & perfectam colorum constitutionem dixerit; quod nullam habeat extremorum permissionem. Alter pictoribus est familiaris, dum colorem vnum obducunt alteri. Caruleo enim aquam maris representanti obducunt album referentem spumam, mediūque color efficitur spumantem aquam representans. In natura sæpius idem animaduertas, dum erubescit quilibet. Nam ex cutis albore sanguinisque accedentis rubore medius efficitur color. At ne hæc quidem est vera permissio; sed sensus iudicio, qui dum inferiorem colorem per superiorem aspicit, tertium distinctum atque ex vtroque permissum indicat. Tertius compositionis modus ita fieri posset, ut duorum extremorum colorum refractione ac remissione alter eorum totum peruaderet alterum; quemadmodum in alteratricibus euenit qualitatibus. Fuit hæc Auerrois sententia in primo libro Physic. comm. 56. & 5. li. comm. 6. 19. & 25. & 4. lib. de celo comm. 26. & in paraphrasi libri de sensu & sensibili & 10. lib. metaph. comm. 23. quam Landunus probabilem iudicauit. quod si in comm. 7. lib. 10. metaph. negauit idem Auerroës medios colores ex albo & nigro tanquam ex duobus principiis componi; sustulit contradictionem Marcus Antonius Timara, colores medios non componi ex extremis ut ex mensurantibus principiis; quippe solus albus colorum perfectionem mensurat, quia primus & simplicissimus: non item niger, quia veluti albi priuatio: eos tamen esse actu in coloribus medijs atque illorum naturam constituere. Cur ita de horum colorum natura senserit Auerroës, hæc fuerunt causæ. Primum, quo-

Ut colorum extremis compositionem

Auerroës sententia.

niam eos ex extremis constare affirmavit sapè A Philosophus. Deinde quia ab extremo fieri non potest motus nisi per medium.

Qua si ita habeant, necessario consequens est, colores medios nec inter se nec ab extremis differre specie: quòd nil aliud, quàm extremorum remissionum coniunctionem significant. Sicut & tepor ex calore & frigore remissis qualitas non est ab illis essentia diversa. Itaque nec fuerint veri, sed apparentes colores: re ipsa verò nil aliud, quàm extremorum copulatio. Innumerabilisque colorum erunt species, vt inquit Iandanus; quòd extremi possint innumerabilibus modis complicari. Hæc quàm sunt absurda, tam ostendunt manifestè secus omnino accipienda esse Philosophi verba, cum colores medios ex extremis componi pronuntiauit. Duplicemque illorum productionem distinguendam. Altera est per motum, qui ab extremo fiat ad extremum, ab albo ad nigrum. Quo modo vera esse videntur ea omnia, quæ ex Auerois sententia dicta sunt: hocque intellectu dici possit eum fuisse loquutum, & omnis tolleretur contradictio. At hæc productio accidentaria profus est naturæ essentialisque colorum. Essentialis illa, quam antea indicauit, ex lucidi, opaci, & perspicui permissione; qua tum extremi, tum medij colores omnes per se primùm essentialiter constant: Ita tamen, vt non in impartibili consistere, sed latitudinem quandam habere singuli intelligantur. Mediorum hanc productionem, non actu, sed quarto quodammodo, nempe virtute, ex extremis esse perspicuum est. Actu enim ex lucido, opaco, & perspicuo, non minùs, quàm extremi, componuntur. Tum quia compositio hæc propria est & essentialis cuiuslibet coloris; cum ex ea per se oritur color. Tum quia colores quoque medij qualitates sunt simplices; quippe simplici modo immutant sensum: quare per se primùm ex coloris principiis oriri debent. Quoniam tamen multum D lucis cum minimo opaco facit album, multumque opaci cum minima luce nigrum: colores reliqui omnes verè dicuntur ex his constitui; quòd eadem causæ, quæ per se primùm generare debuissent album & nigrum, si paulò magis abundassent; reliquos procreant colores medios, dum paulò magis temperantur. Flauus color, inquit Simplicius in com. tex. 26. lib. tertij cum simplex re vera sit, non autem ex commistione albi & nigri, qui sunt colores extremi, à natura constitutus; sed proprius & simplex color, vt dictum est, nihilominus ex vtrisque dicitur esse extremis, ob communicationem & participationem de vtroque omnium mediorum. Verùm interruptam Philosophi verborum interpretationem profsequamur.

Duplex colorum productio.

Duplex

Est igitur aliquid perspicuum. Perspicuum autem dico, quod est quidem aspectabile, non autem per se aspectabile, vt simpliciter dicam; sed propter extremum colorem. Huiusmodi autem est aer, & aqua, & mixta solidorum. Non enim quatenus aqua, neque quatenus aer, perspicuum. Sed quoniam est natura, qua eadem inest in his vtrisque & in sempiterno illo superiore corpore.

COMMENTARIUS LXXXVII.

DE perspicuo igitur primo loco dicitur triplex ponitur. Primum, quid sit perspicuum. Alterum, quoniam sint ea corpora, quæ perspicua esse dicuntur. Postremum, quid in illis inest, propter quod perspicua nominentur. Hoc enim ipsum erat necessarium, vt quid sit perspicuum intelligeretur. Est autem sermo de puro & perspicuo perspicuo; non de eo, quod opacitate permittit terminatum est. Nam & antea de hoc solo loquutus fuerat, & huius solius nunc exempla commemorat. Terminati autem perspicui proprius actus color potius est, quàm lumen.

Ergò quid sit perspicuum, verè exposuit in lib. de sensu & sensibili cap. 3. cum naturam quædam & virtutem esse dixit aeris & aquæ ac similia. Quorum corporum communem, quo lumen vbiq; possunt suscipere. Quam definitionem spectans Priscianus Lydus in Theophrasti lib. de anima cap. 14. aptitudinem quandam esse scripsit ad suscipiendum lumen, & velut exile luminis vestigium quoddam. Nunc autem non tam quid sit, quàm quale sit docet. Nimirum consentaneè loquens definitionis coloris in superiori textu exposita; perspicuum quoque non absolute, sed per comparationem ad sensum & quatenus sensibile est definire voluit. Perspicuum inquam illud est, quod ex se aspectabile non est, sed solum propter extremum colorem, quem suscipit: quemadmodum inter simplicia corpora aer & aqua: & inter ea, quæ mixta sunt & solida, vitrum, cornu, & alia quædam. Hæc enim si per se considerentur, nihil habent institum & connaturale, quo videantur, neque lumen, neque colorem: sed tunc demum videntur, cum aut illuminantur, aut extremum colorem imbibunt. Ex se autem nullum habere colorem possunt; quoniam color terminatorum corporum proprius est: quem si hæc vllum haberent, perspicua non essent, nec pellacerent: idcirco autem sunt perspicua, quòd nullo colore proprio sint affecta. Caterùm quòd externo colore suscepto perspicuum videri Themistius interpretetur de tractatibus virtute colorum, vel etiam contrariorum, qui per aerem aliæque perspicua corpora transmittuntur ad oculum; nullo modo probare possum. Quoniam traiecit illa virtus nec videtur, nec velle dicit illud corpus, in quo inest. Non nam aut aerem aut aquam aut vitrum cernimus alba, aut nigra, rubra aut viridia; quòd colores hocce traiciant ad oculum. Sed aut lumen intelligo, quemadmodum Priscianus quoque interpretatus est in cap. 16. Alterius, inquit ille, color lumen dicitur, tanquam aliunde id est,

TEXTVS.

Est δὲ π διαφανές. Διαφανές ὃ λεγόμεν, ὃ ἐστὶ τὸ ὁρατὸν, ὃ καὶ αὐτὸ ὃ ὁρατὸν, ὡς ἀπλῶς εἰπὴν, ἀλλὰ δὲ ἀλλότριον ἡσθίμα. ταῦτον δὲ ὄντι ἀερ, ἢ ὕδωρ, ἢ πῦρ, ἢ ἄλλο τι σφαιρῶν ἢ ὁδῶν, ἢ ἀερ, διαφανές, ἀλλ' ὅτι ἐστὶ φύσις ἐνυπαρχοῦσα ἢ αὐτῇ ἢ ταύταις ἀμφοτέρω, καὶ ἐν τῷ ἀίθρι τῷ αὐτῷ σώματι.

Nam
aer vi-
satur.

id est ab illuminante procedens. Aut lumen & colorem ipsum realem, quo si huiusmodi corpora ab exteriori causa fuerint affecta, vt si aer aut aqua illuminentur, aut etiam aqua vitrumue colore quoquam liniatur, aspectabilia statim euadunt. Nam etsi de aere dubitari possit, an illuminatus cernatur: hoc tamen argumento probat Philoponus; quod non modò nos, sed bestia quoque; nec alio sensu, quàm aspectu; manifeste cognoscunt, quando dies est, & quando nox. Quia scilicet illuminatum aërem conspiciunt: Tuncque prodeunt ex antris, ad eaque abeunte lumine redeunt. Lumen enim ait Themistius in textu 69. aërem visibilem facit, quemadmodum sua colores corpora. Itaque perspicuum, tum illuminatum videtur, tum coloratum. Sed quando illuminatum est, videtur quatenus perspicuum: quando autem coloratum, quatenus quoquomodo terminatum. Atque hæc corpora simul possunt esse illuminata & colorata; simul pellucida & quoquomodo terminata; simul in se ipsis videri & esse media ad videnda alia: quæ omnia in colorato vitro facillè apparent.

Sed colorem Philoponus & Simplicius lumen solum interpretantur; quia lumen est velut color perspicui, vt in sequenti textu quasi hæc verba exponens affirmabit Aristoteles. Quoniam tamen non omnino dicit esse colorem, sed vt colorem perspicui, hoc est id ipsum esse lumen in perspicuo peruiso, quod est in terminato color: malo nunc coloris appellatione quidpiam colori & lumini commune intelligere; sicut & antea dixit Aspectabile esse colorem; colorem ipsum & lumen comprehendens. Si quidem vtroque modo perspicuum sit aspectabile, siue colorem perscipiat, siue lumen: neutro tamen modo per propriam & naturalem, sed per aduentitiam qualitatem. Ac aer quidem & aqua pura per solum lumen, non per colorem: quoniam corpus simplex coloratum esse non potest. Corpora autem mista vtroque modo, & per lumen, & per colorem. Et tum perspicuo quidem, tum colorato conuenit, sine lumine non videri. At perspicuum vt perspicuum, quatenus illuminatum est solum, videtur: coloratum verò, & vt illuminatum, & vt coloratum.

Perspicuum
pluribus
corporibus
compositum
est.

Iam quoniam non solus aer aut aqua corpora sunt perspicua, sed complura item mista & solida: propterea aërem & aquam sapienter subiungit non esse perspicua, quatenus aer aut aqua sunt. (si enim quatenus aer, solus aer & ea, quæ aërea sunt, perspicua essent: eodemque modo si quatenus aqua) sed propter communem aliquam naturam, quæ & in aere est & in aqua (non nominat autem mista corpora, quæ perspicua quoque esse dixerat; quoniam illorum perspicuitas ab altero est horum elementorum in illis abundante) & in superiore cælesti corpore. Nam præter hæc inferiora cælestia item esse perspicua, ostendunt superiorum orbium astra; quoniam aspectus ab inferioribus orbibus non prohibetur. Sola astra non sunt perspicua, & ideo superiorum aspectum tollunt: indeque solis eclipsys lunari astro interposito. Cælestis igitur corpus, vt in cæteris, ita in perspicuitate, primatum obtinet: deinde sequitur aer, tum aqua: ab his accipiunt corpora mista, quæcumque perspicua sunt. Quare vt hæc corpora diuersam habent naturam, sic eorum nul-

A li dici potest inesse perspicuitas per essentiam: (si quidem nulli inessent alij) sed conditionem aliquam esse oportet omnibus illis communem, ex qua perspicuitas oriatur. Quod enim interpretantur aliqui, non naturam aliquam, ratione cuius perspicuitas consequatur; sed ipsam perspicuitatem hinc corporibus esse communem; minime videtur cum Philosophi verbis consentire. Perspicuitatem namque potius probat esse communem; quia non conuenit singulis quatenus propriam & specialem habent naturam; propterea quòd cæteris non conueniret, sed quatenus communi aliqua naturæ conditione, ex qua ea oriatur, prædita sunt. Perspicuitatem dicere possumus aptitudinem esse ad suscipiendum lumen, quæ in perspicuo peruiso inest in toto corpore, in terminato in sola superficie. Conditionem autem cælo & reliquis corporibus communem, ex qua aptitudo ea nascatur, non est facillè nominare; & innominatam penitus esse dixit Auerroës. Dici tamen potest eiusmodi esse raritatem cum tenuitate quadam, & (vt ita loquar) spiritualitate partium coniunctam; qua in re cælestes orbis cum elementis perspicuis conueniunt: si quidem & orbis perspicui minus densi sunt, quàm astra opaca; & elementa item perspicua minus densa, quàm terra opaca. An verò huiusmodi perspicuitas de cælo & inferioribus corporibus synonymè dicatur, an per prius & posterius vt sensit Albertus; hoc loco non disputo; sola Philosophi interpretatione contentus.

TEXTVS.

ὅτις δὲ ἐστὶν ἡ τοῦτο ὑπερβαίνει τὴν διαφανῆς ἢ διαφανῆς δύναμις ἐν οἷς αὐτὸ ἐστὶν, ἢ τὸ αὐτὸ.

Lumen autem est actus huius perspicui, quatenus perspicuum. Potestate autem, in quibus hoc inest & tenebræ. Tex. 69.

COMMENTARIVS LXVIII.

Quoniam color videri non potest sine lumine; prius dixit agendum esse de lumine. Et quoniam quid sit lumen exponi sine perspicuo non potest; primùm omnium de perspicuo dixit, tanquam de materia & subiecto luminis. Nunc ad lumen accedens, tanquam ad formam & perfectionem illius, his verbis definit; lumen est actus perspicui, quatenus perspicuum est. Propterea igitur agendum prius fuit de perspicuo; quoniam in luminis definitione nominandum erat. Definitio enim ex notioribus seu antea explicatis adferri debet. Et ideo etsi perspicuum quoque definire potuisset per lumen; per colorem tamen maluit definire, quia colorem iam definierat; de lumine nihil adhuc dixerat. Quam ob causam colorem externum, quem in definiendo perspicuo nominauit, meliùs, quàm lumen, interpretabimur aut colorem ipsum aut id, quod colorem & lumen comprehendit. Ac commoditissima verò hæc est definitio tractationi, quam de lumine hoc loco instituit. Non enim lumen considerat in subiecto naturali, corpore lucido, sole aut igne (immo in capite 3. libri de sensu & sensili addidit esse actum perspicui ex ac-

GGG

cidenti; hoc est eius, quod ex se lumen non habet, sed aliunde accipit) nam hoc ad tractationem potius de celo aut elementis pertinet. Sed in externo & non naturali subiecto, in quo a naturali diffusum suscipitur. Et ut est conditio medij necessariaque dispositio ad videndum colorem, ut ex textu 66. & 67. manifestum est.

Lumen quid.

Ergo lumen est actus, perfectio, & forma huius perspicui, quod dictum est ex se aspectabile non esse, sed solum per externum colorem: quia ex se nec lumen habet sibi proprium, nec colorem; sed tum demum aspicitur potest, cum horum alterum aut utrumque suscipit. Est autem actus huius perspicui, hoc est perspicui peruij, aeris & aqua & solidorum quorundam. Atque ita definitur lumen per proprium subiectum; quo distinguitur a colore, qui terminari potius perspicui actus est. Denique actus dicitur huius perspicui, hoc est perspicui, quod sit actu aspectabile; quemadmodum in eius definitione positum est.

Lumen energia potius quam entelechia perspicui.

At actum non *ἐντελέχεια* nominavit, quae actum perfectum seu habitum; sed *ἐνέργεια*, quae operationem potius seu actum imperfectum cum operatione iunctum significat. Sicut etiam in definitione coloris; cum eum dixit motuum esse perspicui actu illuminati. Etenim hoc perspicuum non habet proprium lumen seu permanentem habitum, sed externum dumtaxat & aduentitium, semperque cum illuminatione coniunctum. Nam statim atque definit externi corporis illuminationem, definit & in perspicuo lumen. Propterea lumen energia potius est quam entelechia perspicui. Et ideo dicitur quod esse praesentia corporis lucidi in perspicuo: non quod formaliter nil aliud sit, quam praesentia; sed quod ex lucido corpore praesente in perspicuo deriuatur, tandiuque in eo perseveret, quamdiu illud fuerit praesens; & coque recedente statim recedat; & quod erat illuminatum, relinquatur tenebrosum. Absentia enim & priuatio luminis tenebrae sunt: & ut perspicuum praesente lumine illuminatur & fit actu, quatenus est perspicuum, hoc est quatenus est aptum ad suscipiendum lumen. Aut non quatenus est aer, aut aqua, aut aliud eiusmodi corpus, sed secundum generalem conditionem perspicuis omnibus corporibus vel etiam caelo communem; qua sunt ad suscipiendum lumen apta: sic eo remoto efficitur tenebrosum; & dicitur esse potestate; quoniam ad lumen, quo caret, rursus accipiendum est aptum. Hoc enim est, quod ait, (potestate autem, in quibus hoc inest & tenebrae) hoc est corpus illud, quod naturam eam habet perspicuis omnibus communem, & est tenebrosum carensque lumine; potestate ad lumen esse dicitur. Hoc est perspicuum quatenus perspicuum; cui dum accedit lumen, facit actu perspicuum; atque haec est propria perspicui forma & perfectio.

Lumen eius praesentia corporis lucidum perspicuo.

Idcirco enim Simplicius, cum lumen audit appellari energiam perspicui, duplicem distinguit energiam; alteram perficiendi vim habentem; alteram procedentem & manantem a sua causa. Lumen namque, quod est in corpore lucido, entelechia quidem dicitur, dum absolute consideratur & velut habitus in proprio naturali subiecto: verum tamen est etiam energia, dum operatur & illuminat caetera: energia inquam, promanans a sua & naturali causa. At dum est in perspicuo, Actus & energia perspicui appellatur; non ab eo promanans, sed illud perficiens. Et quatenus quidem emanat, actionem appellant Latini; quatenus autem suscipitur & perficit, actum & formam.

A causa. Lumen namque, quod est in corpore lucido, entelechia quidem dicitur, dum absolute consideratur & velut habitus in proprio naturali subiecto: verum tamen est etiam energia, dum operatur & illuminat caetera: energia inquam, promanans a sua & naturali causa. At dum est in perspicuo, Actus & energia perspicui appellatur; non ab eo promanans, sed illud perficiens. Et quatenus quidem emanat, actionem appellant Latini; quatenus autem suscipitur & perficit, actum & formam.

Possumus & alio modo interpretari illa verba (potestate autem, in quibus hoc inest & tenebrae) si potestatem hanc, de qua Philosophus loquitur, non potestatem consequentem luminis remotionem a perspicuo, sed illius potius aduentum antecedentem, intelligamus. Ut cum perspicuum dixisset non in sublunariis modo, sed & in caelestibus reperiri; mox voluit haec duo corporum genera hac ex parte distinguere, quod in caelestibus sit perspicuum semper actu illuminatum, numquam cum potestate & priuatione: at in sublunariis interdum sit actu, interdum potestate. Quoniam ad haec interdum accedit corpus lucidum, interdum ab illis recedit: & ideo haec interdum sunt illuminata, interdum tenebrosa: utriusque scilicet subiecta, luminis & tenebrarum.

Ex quo loco vere colligunt Simplicius & Philoponus, lumen & tenebras non opponi tanquam duas formas contrarias & pugnantes, sed velut formam & priuationem; tenebraeque solum luminis priuationem & absentiam significare. Neque ad tenebras inest in perspicuo potestas, sicut ad lumen: quia cum priuatio sit non ens, nullam ad se suscipiendam in subiecto potestatem postulat: sed potestas, quae est ad formam, interdum eam habet, interdum ea caret. At leuis est ratio, qua tenebras probat Simplicius posituum aliquod non significare contrarium luminis: quoniam esset opus duplici potestate. Etenim materia simplici potestate formas omnes, licet contrarias, suscipit. Porro si lumen & tenebrae priuante opponuntur; colligit Philoponus, lumen non esse corpus, sed formam: quia priuationi forma, non corpus, opponitur.

Dubitationem de luna proponit Simplicius, quae terrena umbra cono subintrante solis lumine priuatur. Verum non luna, sed reliquus lunaris orbis perspicuus est; luna autem opaca, & ideo ipsa solis aspectum nobis praecipit: orbis autem reliquus, qui perspicuus est, nec superiorum siderum aspectum impedit, nec eorum vanciam priuatur lumine: quemadmodum nec orbis reliqui. Et quamuis pars orbis aliqua lumine priuaretur; ea tamen, inquit Philoponus, praeter toto reliquo orbe est minima. Eavero lumine quidem priuatur, quod accipit a sole; at proprium semper retinet.

Vniuersae autem magis loquendo de lumine, factum non lumen omnium corporum quoquomodo est actu. Nullum enim esse voluit natura, quod cum diuinae qualitatis particeps non esset; & tamen lumen non nisi perspicui actus dicitur. Sicut namque peruium, siue terminatum perspicuum accipiat;

cipias; alterius partes omnes à lumine penetrantur & actuantur, alterius sola superficies exterior, ibique & luminis & visionis actus terminatur nec ulterius progreditur. Ibi aspectabiles facit colores; aut si corpus nullius coloris sit, neque aliunde accipiat lumen, sed naturale possideat; non in superficie modo, sed in omnibus partibus habet lumen. Non est tamen lumen actus perspicui terminati, aut etiam opaci vt terminatum est aut opacum; sed vt multum habet perspicui opacitate licet aliqua terminatum. In sole totus orbis perspicuus est; at in astro, quod lucet, opacitas quaedam inest ob illius partis densitatem: atque ita in cæteris.

TEXTVS.

Τὸ δὲ φῶς, οἷον γέγραμμένον τῷ διαφανοῦς, ὅταν ἢ ἐν πλάτῃ γένηται διαφανὲς κατὰ πρῶτον, ἢ ἰσοῦσιν, οἷον ἰδὲ αὐτὸ σῶμα· καὶ τῷ ἰσῶσιν πῦρ ἢ ἀέρας ἢ ὕδωρ.

Lumen autem vt color est perspicui, cum fuerit actus perspicuum ab igne aut huiusmodi: quale quod sursum corpus. Etenim huic aliquid inest vnum & idem.

COMMENTARIVS LXXXIX.

Lumen definiuit esse actum perspicui. Jam ne quis lumen existimaret esse colorem, coloremque & lumen minimè differre: præsertim cum antea dixisset, perspicuum sua natura non esse aspectabile, sed propter externum colorem: colorem autem interpretati sumus, aut lumen, aut lumen simul & colorem. Si enim lumē est actus perspicui, & perspicuum externo colore suscepto sit aspectabile; lumen igitur & colorem quispiam esse idem existimauit.

Idcirco nunc admonet, lumen non esse propriè colorem, neque lumen propriè colorem appellatum fuisse. Non enim colorat aërem aut perspicuum: neque est illi æquè insitum, ac rebus coloratis color. Quia non ex intimis illius corporis, cui inest, principis oritur, sicut color; sed ab exteriori corpore illuminante accipitur; & idèò facile separari potest; quod non potest color. Sed lumen est veluti color & quidpiam colori proportionè respondens; vt quod est color in corpore colorato, hoc sit in perspicuo lumen. Quia vt color est actus, forma, & perfectio colorati corporis terminati; ita peruij quoque perspicui est lumen: & vt color facit corpus coloratum, ita lumen facit pellucidum: denique aut coloratum per colorem, ita perspicuum per lumen est aspectabile. Fortasse etiam lumen dixit esse vt colorem, quoniam verus color est, qui colorato corpori hæret inseparabilis, cum eoque huc & illuc transfertur & omnino corrumpitur: at lumen vt separabilis actus adest perspicuo, eoque moto & corrupto immotum & incorruptum permanet.

A Quam interpretationem significare videtur Simplicius, cum actum esse ait perspicui, non tanquam ab ipso; sed vt actum, qui ipsum perficiat non inquam vt ex principiis & potestate eius productum, sed ab alio immisum.

Verum si perspicuum ex se non habet lumen, sed potestate est ad illud suscipiendum; lumenque est illius actus & forma: sanè queri poterat, à quonam hæc potestas reducat ad actum, vt perspicuum actu illuminetur. Propterea vt absoluta sit perspicui & luminis consideratio; id subiungit fieri ab igne aut alio eiusmodi corpore lucido, quod cum in se ipso habeat lumen, possit velut luminis fons in aliud quoque effundere.

B Le etiam est cæleste corpus; quod etsi magna ex parte sit perspicuum, astra tamen habet lucida, quæ & perspicuas illius corporis partes & inferiora corpora, quæ lumen suscipere apta sunt, possunt illuminando facere actu perspicua. Præsertim verò sol, qui vt maximum habet lumen, ita maximè potest cætera illuminare. Sed in sublunariibus, vt aërem & aquam dixerat perspicua corpora & ad lumen suscipiendum apta; ita nunc ignem nominat tanquam supremum & cælesti luminis proximum, aptum illuminare & facere actu aëris & aquæ perspicuum.

C Quo circa ita res se habet in elementis; ignis non solum peruius totus, sed & cælesti luminis proximus, est & ipse lucidus. Aër & aqua, quæ longius distant, non lucida sunt, sed perspicua; nec proprium habent lumen, sed in omnibus suis partibus externum possunt suscipere & transmittere: & aër magis, quam aqua: quia & magis rarus, & tenuiorum partium, & igni ac cælo propinquior. Terra, vt est maximè remota, ita opaca remanet, & in sola superficie suscipit lumen & reflectit; in interioribus partibus tenebrosa tota. Cælum partim lucidum est, partim lucis expertus; partim terminatum, partim peruium corpora mista excedentis elementi conditionem retinent.

D Cæterum quod superius de perspicuis corporibus, tum cælestibus, tum sublunariibus dixit, ea non esse perspicua quatenus talia sunt singula, sed quatenus communem habent naturam, quam perspicuitas consequatur; hoc idem de lucidis affirmat. Cælestia namque corpora, & ignis, & si quæ sunt alia, lucem habent & alijs eam impertiri possunt. Sed non habent quatenus talia sunt: Verum propter communem aliquam rationem, quæ in illis omnibus insit, velut causa vt & in se ipsis luceant & cætera possint illuminare. Si enim sol aut ignis luceret quatenus talis natura est; solus ipse luceret & præter ipsum nihil. Quoniam autem sit hæc communis lucidorum omnium conditio, vix alio modo exponi potest, quam nobilitatem & præstantiam illorum corporum proponendo. Nam quia lux præstantissima est omnium qualitas, non nisi præstantissimorum corporum proprietas esse potest: cæli inquam supremi corporis; & ignis, qui cæteris omnibus elementis plurimum antecellit. Hanc ego sententiam verbis illis existimo esse subiectam (etenim huic inest aliquid vnum & idem) hoc est eadem huic inest aliquid vnum & idem) aliique permulti secus interpretentur: cæleste scilicet corpus simul esse perspicuum

GGG ij

Perspicuum dicitur actum.

Simpli- cibus corporum distibutio.

Lucidum est conditio communis.

& illuminatum : neque in eo reperiri perspicuum potest, quemadmodum in sublunariis, sed actu semper ; quia semper est præsens id, quod illuminet : aliud tamen esse, ipsum esse perspicuum, & esse illuminatum. Sed prior interpretatio Themistij fuit & Philoponi ; & magis est Aristotelis verbis consentanea. Quamquam & ea licet intelligere, non de conditione naturæ, qua in se sint subiectum lucis ; sed de proprietate illa, qua cætera possunt illuminare. Quod maxime visus est velle Philoponum, cum igni & cælesti corpori vnum & idem dixit illuminatum inesse, per quod eorum vtrumque ad actum deducit & perspicuum perficit : Tametsi tum perspicuitatis, tum luminis diuersa sit & in superioribus & in inferioribus mensura.

TEXTVS.

Τὸ μὲν οὖν τὸ διαφανὲς, ἢ τὴν τὸ φῶς, εἶναι αὐτὸ τὸ πῦρ, οὐδ' ἄλλοτε σῶμα, οὐδ' ἄπορρῶν σῶματος οὐδ' ἐνὶ αὐτῷ σῶματι ἢ καὶ ἄλλοτε ἄλλοτε σῶματι ἢ τῶν οὐρανῶν πῦρ παρῶντα ἐν τῷ διαφανῶντι οὐδ' ἄλλοτε σῶματι αἴμα διὰ τὸν ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι.

Quid igitur perspicuum, & quid lumen, dictum est: quod neque ignis, neque omnino corpus, neque vllius corporis defluxus (esset enim vtrique aliquod corpus & sic) sed ignis aut huiusmodi alicuius presentia in perspicuo, neque enim duo corpora in eodem simul esse possunt.

COMMENTARIUS XC.

Quid sit perspicuum, satis quidem explicatum est, dum in aëre, & aqua & huiusmodi aliis corporibus peruis dictum est conditionem esse quandam & aptitudinem communem ad suscipiendum lumen. At cum lumen definitum est esse actum huius perspicui, definitum solum est per comparationem ad perspicuum: sed quid ipsum sit in se ipso, nondum declaratum est: quid inquam illud sit, quod in perspicuo vt actus & perfectio illius suscipitur ; an substantia, an accidens ; an corporeum quidpiam, an spiritale: de hoc enim veteres maxime dissentiebant. Addit igitur quasi ex dictis colligendo, lumen neque esse ignem, neque corpus, neque corporis defluxionem.

Quod Philoponum miror credidisse non de solo lumine, sed de perspicuo quoque fuisse dictum. Nam quod dicitur (aut defluxus corporis vllius): quodque subiungitur (sed esse presentia ignis aut huiusmodi corporis in perspicuo) manifestum est de solo lumine, non de perspicuo fuisse adiuncta. Itaque melius omnino Simplicius non de perspicuo, sed de lumine hæc omnia affirmat fuisse addita: ac præsertim aduersus Timæum apud Platonem interpretantur, tum ipse, tum Philoponus. Lumen enim esse ignis speciem quandam, dixit Timæus & in eum Proclus comm. 3. diurnumque lumen & id, quod ex oculis nostris effluit, simul iuncta vnum corpus efficere: quod ex Iamblichi quoque commentariis potest intelligi. Sed & alij præter Platonem ignem esse putauerunt ; partientes ignem in carbonem, flammam, & lumen ; seu potius in ignem carbonem, ignem flammam, & ignem lumen. Atque adeo Democritus, Epicu-

Lumen quid.

rus, & Empedocles, omnino corpus seu atomorum corpusculorum effluxionem à corpore lucido esse voluerunt.

Quæ omnia Philosophus necessaria prorsus ratione confutat. Nam si lumen in perspicuo suscipitur tanquam illius actus & perfectio; totumque peruatit, nec aërem modo aut aquam aliæ inferiora corpora, sed superiora quoque cælestia; dum sol & alia cætera per inferiores orbes lumen ad nos transmittunt; corpus profecto susciperetur in corpore, duoque corpora sese mutuo penetrarent, simulque essent in eodem loco. Quod si (argumentatur Alexander capite 3. lib. 27. de anima) ea, quorum locus æqualis est, ipsa quoque æqualia sunt; vtrumque corpus simul acceptum eorum alterutri esset æquale: At hæc natura non sustinet; siquidem habent singula corpora quantitatem suam, molem, & extensionem, qua vnam partem obtinent extra aliam, & proprium occupant locum: atque si in aliud incurant corpus, aut diuidunt, aut confringunt; aut si durus sit & resistens, ex suo loco pellunt, vt ipsa succedant. Sive autem lumen dicatur esse ignis, aut corpus, siue à corpore defluxum; perinde est, si hoc ipsum corporis defluxum sit corpus. Non defuerunt, vt ex Philopono scimus, qui propterea lumen penetrare corpora posse responderent, quod immateriale sit corpus: & Simplicius in Philosophi argumentatione sola materialia corpora intelligi voluit. At hoc contradictionem inuoluit: quippe omne corpus materiam habet, hæcque primum corporum principium est. Et si quia corpus immateriale existit, per aliud potest corpus procedere; non solum per aërem & perspicua, sed & per opaca & omnino corpora omnia potest procedere. Si verò aërem dissecaret lumen, aut per illius meatus transiret; non essent omnes aëris partes illuminatae, neque vbique esset aër; abenteque lumine remaneret vacuum; & rarior esset obtenebratus, quam illuminatus aër; ac demum respirantes interdum aërem, interdum lumen, interdum vtrumque simul hauriremus. At veto quomodo à sole solidissimos inferiores cælestes orbes peruaderet, vt ad nos descenderet? Deinde aër suscepto lumine corpulentior & crassior fieret; contra quam res ipsa habeat: siquidem in tenebris & nocturnis horis crassior est & densior. Atque si corpus esset, igne nimirum tenuius & leuius; illius ad nos descensus naturalis motus non esset. Et illuminatio, motus scilicet luminis, fieret cum tempore (sic enim mouentur omnia corpora) at simul & momento fit per totum aërem & aliud quoduis perspicuum; soleque oriente in omnes terras lux momento diffunditur. Nec potest in omnes partes vel contrarias moueri: siquidem tam multas vel etiam contrarias naturas, & motrices qualitates nequaquam habere posset. Omnis enim naturalis corporis motus aut sursum est aut deorsum aut in orbem: lumen æque in omnem partem simul diffunditur; & quidem recto motu, non in orbem. Tum quia lucena solas anteriores aeris partes illuminat, non posteriores aut superiores & inferiores. Tum per foramina tabulatum aut fenestratum aut parietem ita progreditur, vt per foramen ab illuminato corpore ad illuminans recta prorsus ducatur linea. Sed & si lumen esse corpus, cur si per angustam rimam in tenebrosam domum ingrediatur, clausa reperi-

to tunc

te rima non remanet; cum tamen alium non habeat exitum? Immo & luminis motus externa vi impediretur, aut cōcitatior fieret; quemadmodum aliorum omnium corporū motus: at eodem semper modo spargitur lumen, siue vigeant venti, siue tranquillus & pacatus sit aër. Et hic quidem à ventis mouetur, & aliò transfertur; lumen autem non item. Denique si corpus esset lumen, continuata & perenni illius diffusione absumeretur sanè quoduis lucidum corpus: at nihilo minus euadit.

Et hæc quidem vniuersè Peripatetici aduersus hæc omnes opiniones disputant. Speciatim autem lumen ignem non esse ostendemus. Tum quia non solus ignis, sed sol & alia corpora lucent & illuminant. Tum quia in aqua item & glacie est lumen; ignis esse non potest. Tum quia si ignis esset, propter naturam & per vim deorsum moueretur. Ad eundem quia lucent capita quorundam piscium, & lapides nonnulli, & concussione lapidum educitur lumen: nec tamen in his ignem esse credendum est.

Neque esse defluuium corpusculorum à corpore lucido. Quoniam illuminando consumeretur, restauracioneque indigeret: neque in cœlestibus corporibus hæc vlllo modo fieri possunt: atque vt habet Philoponus, stultum est vllum in illis defluuium cogitare.

Quid igitur erit lumen? Nullo sanè modo corpus, sed aut ignis, aut solis, alteriusque lucidi corporis præsentia in perspicuo. Quam definitionem non formaliter, sed casualiter intelligas. Lumen namque non est formaliter præsentia: quia hæc formaliter, inquit Themistius, est relatio rei præsentis ad id, cui est præsens: sed est qualitas, quæ in perspicuo producit præsentem corpore lucido. Nam statim atque lucidum corpus fuerit præsens perspicuo, in eo lumen consequitur. Et idè quia nil aliud requiritur, nec alia opus est mutatione, verè corporis eiusmodi præsentia in perspicuo esse dicitur. Altero modo intelligi potest non præsentia loci & situs corporum lucidi & perspicui; sed formæ luminis, quæ apta est perficere perspicuum: Quo modo hæc definitio eadem penè fuerit eum superiori. Quippe idem videtur esse affirmare lumen esse actum & formam perspicui; & dicere esse perfectionem perspicui præsentem. Prior interpretatio videtur fuisse Philoponi, posterior Simplicij, vtraque Themistij, cum præsentiam talem dici scripsit, quali aut agens dicitur esse præsens patienti, quod ab eo quidpiam accipit; aut perfectio & ornatus adesse illi rei, cui perfectionem & ornatum adfert. Sanè vtramque Philoponus non obscure significauit. Priorem, cum dixit præsentiam corporis lucidi in perspicuo. Corpus enim lucidum dixit, à quo aliquid in perspicuum detrahetur. Posteriorem autem, cum statim subiunget, lumen præsentiam esse illius habitus, qui priuationem à perspicuo pellit.

Digestio xxxvi. De quantitate, & corporum penetratione.

Quoniam lumen non esse corpus, neque defluxum corporis, Philosophus hoc argu-

mento probauit; quoniam plura corpora simul esse non possunt; huius ratio quaerenda est.

Accidentia omnia nihil aliud sunt, quam entis entia, velut modi afficientes substantiam, quæ primum & perse est ens. Quantitas extensio est ratioque partium extra partes, quas substantia quoque tribuit: indeque & diuisionis ratio, & mensura, & esse æquale aut inæquale, finitum vel infinitum, occupare locum, & si quæ sunt alia his similia, tamquã proprietates quantitatis existunt. At Stoici quantitatem videntes ratione materia inesse substantiæ corporeæ, eam existimauerunt esse ipsammet materiam. Et post eos alij substantiam & qualitates omnes propriam voluerunt extensionem habere, quæ tamen ab illis nequaquam re distinguitur. Sed si materia potestatem significat ad actum; & substantia id, quod est per se, quantitas verò partes & extensionem; alia profectò materiæ seu substantiæ, alia quantitatis ratio est. Nam & ad diuersas spectant categorias, & diuersum entis genus significant; quemadmodum aduersus Melissam & eos, qui infinitum asserbant velut substantiam, in primo & tertio Phys. argumentatus est Philosophus. Immo in septimo libro Metaph. tex. 8. materiam probans esse substantiam, quantitatem dixit substantiam non esse, sed materiam, cui ea inest: quoniam si quantitas & qualitates omnes separantur, sola superest materia. Certè dum ens rei dicitur esse illud, quod est aptum existere; certius adferri argumentum non potest realis entium distinctionis, quam quòd ea vel seorsim existant separata, vel sint apta propriis singula existentis existere. Quòd si nature viribus nequeat quantitas à materiæ gremio diuelli ac sine materia coherere: id tamen omnino fieri posse ex admirabili Eucharistiæ sacramento cognoscitur; in quo quantitatem à materia separatam existere certissima fide credimus. Ita necessariò concluditur, eam esse rem quampiã à materia seu substantia diuersam.

Sed natura lumine ita libet philosophari. In corpore quidem naturali multa cernuntur, materia, substantiæ forma, qualitates, & accidentia plura: vnica tamen est extensio, quæ hæc omnia extenduntur; materia per se secundo modo; quoniam propria illius affectio est; reliqua ex accidente, quia dum extense materiæ adueniunt, non sibi propria, sed alterius extensione extenduntur. Quam ob causam sæpe apud Aristotelem legimus, qualitates & alia omnia ex accidenti quanta & partibilia esse, propter subiectum, in quo sunt. Quòd si plures essent in corpore extensiones, propriamque haberent singulæ qualitates & formæ rationem partium; esset in quolibet corpore plurimarum quantitatum mutua penetratio: Quam non solum ab antiquis omnibus maximum & euidensissimum absurdum indicatam fuisse confirmant Simplicius atque Themistius in tex. 8. libri 4. Phys. eoque argumento, vt est in tex. 53. & 55. vacuum illi asserbant, & Aristoteles locum demonstrauit in textu 8. & 37. triplicem dimensionem non esse: neque in textu 27. posse idem esse in se ipso ex accidenti: & in textu 76. vacuum confutauit tamquam spatium trifariam dimensionum omni carentem corpore: ac demum in 1. li. de an. t. 72. neque animam, neque in tex. 69. lumen esse corpus vllum licet tenuissimum; quia sequeretur plurium

GGG iij